



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Quotuplex sit carentia, & vnde specificetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

CAPVT III.

Quotuplex sit carentia, & unde specificetur.

11 **C**arentia alia est negatio, alia priuatio: illa est carentia formæ in subiecto inepto, ut cum leo irrationalis dicitur: hæc est carentia formæ in subiecto apto, ut cum homo cæcus dicitur: eadem autem carentia priuatio, & negatio successiue esse potest, prout subiectum aptum modo respicit, modo non respicit: quo pacto carentia formæ equinæ ante primæuam productionem materiæ erat negatio; ea vero in principio creata in priuationem migravit. Ceterum hæc aptitudo subiecti carentiam in ratione priuationis constitutens naturalis esse non debet, ut aliqui volunt, sed merè obediens esse potest: siquidem iustus lethaliter peccans in penam peccati gratia priuari dicitur: eaque loquutio Theologis valde solemnitas est: at eiusmodi priuatio est carentia gratiæ in subiecto solum obediens apto, ut perspicuum est. Priuatio iterum tripliciter subdiuiditur. Alia enim est propria, quæ subiectum specificè sumptum formæ capax esse postulat: qua ratione homo cæcus dicitur: alia est communis, quæ subiectum penes solum genus proximum formæ capax esse postulat: qua ratione talpa cæcus, seu visu priuatus dicitur, cum tamen penes solam rationem genericam animalis visus capax sit. Alia tandem est communissima, quæ subiectum penes solum genus valde remotum formæ capax esse postulat: qua ratione lapis mortuus, seu vita priuatus esse dicitur.

12 Carentias specificari à formis positiuis, quibus priuant, communius, ac receptius est, quam ut Auctorum consensu firmari debeat. Hæc autem specificatio trifariam explicari potest: namque in primis, quoties distinctarum rerum dantur distinctæ carentiæ, eæ specie differunt, hoc ipso, quod res positiuæ, quibus oppositæ sunt, specificam diuersitatem subeant: qua de causa carentia hominis, & carentia equi non solum numero, verum etiam specie differunt. Rursum secundò: vnius rei vna tantum carentia simul ac semel reperiri potest, quidquid sit, an eiusdem rei in diuersis instantibus diuersæ carentiæ reperiri possint: uti actus amoris, v. g. modò per carentiam necessariam, modò per carentiam essentialiter liberam à voluntate omittatur. Præterea tertio: distinctarum rerum distinctæ numero carentiæ nunquam non de facto dantur. Non inficior tamen in aliquo euentu fieri posse, ut res realiter distinctæ per eandem numero carentiam esse definant, quamuis etiam oppositum probabile sit.

13 Porro autem quod proximè superius asseruimus, distinctarum rerum distinctas semper carentias esse: tametsi commune Aristotelicorum placitum sit, placere tamen nequit aliquibus Neotericis, qui in ea sententia sunt, ut existiment, carentiam Petri, v. g. nihil aliud esse quam carentiam omnium eius vbicationum, quamuis Petrus ab omnibus, & singulis vbicationibus realiter distinguatur: fundamentum, quo mouentur, sic se habet. Si carentia Petri esset distincta à carentiis vbicationum omnium, quibus loco adesse potest, ea carentia esset vbique, & spatiis imaginariis, quotquot in infinitum protensa sunt, absque termino, & limite coextenderetur. Consequens absurdum videtur, præsertim cum rebus positiuis, quæ caren-

tiis perfectione præstant, ea latitudo localis non concedatur. Sequela probatur, quia non est prior ratio, cur ea carentia hic existat, quam alibi: igitur vbique existit. Tum etiam, quia non existente Petro, nullibi est: igitur eius carentia, si indiuisibilis sit, & distincta à carentia vbicationum Petri, vbique est: cur enim ibi esse nequeat, ubi Petrus non existit? Nec vero ad Auctorem naturæ decernentem, ut hic sit potius, quam alibi recurri debet. Primò, quia id parum philosophicum est, & in indifferentia rerum positiuarum hic recursus absque necessitate non admittitur. Secundò, quia in intelligibile prorsus est, quo pacto determinet Deus eam indifferentiam, quam habet carentia, ut hic, vel alibi sit: neque enim id prætere potest per identitatem aliquam positiuam, & modalem, ut per se patet: neque etiam per aliam carentiam, eo quod munus carentiæ cuiuscunque sit habitu spoliare, non aliquid consistere in loco. Porro hoc aduersariorum argumentum, ut ipsis videtur, non militat in carentiis vbicationum Petri, quæ cum diuisibiles sint, pro multiplicitate vbicationum, singulæ carentiæ singulis spatiis suarum vbicationum essentialiter alligantur: quare nulla earum vbique locorum existit.

14 Ceterum singularem hanc sententiam, ni fallor, manifestè conuincio: siquidem pro illo priori, quo Petrus est proximè expeditus ad existendum in loco, intelligitur destructa carentia Petri: at non intelligitur destructa carentia vbicationum Petri: igitur carentia Petri realiter distincta est à carentia vbicationum omnium Petri. Consequentia negari nequit: quia si non distinguerentur realiter, destructio vnius esset destructio alterius: sicut destructio hominis est destructio animalis rationalis: & sic non posset intelligi pro vilo naturæ signo destructio vna, in quo altera non intelligeretur. Antecedens quoad posteriorem eius partem probatur: destrui carentiam vbicationum Petri est re ipsa existere vbicationem aliquam Petri: at pro illo priori naturæ non existit vbicatio Petri, quæ potius ad posterius naturæ signum attinet: igitur pro illo priori carentia vbicationum Petri non destruitur. Antecedens quoad priorem eius partem pari ratione suadet: destrui carentiam Petri est Petrum existere: at pro illo priori existit Petrus, cum sine existentia nulla res expeditionem, & facultatem proximam se collocandi in loco habere queat: ergo pro illo priori carentia Petri destruitur.

15 Argumentor secundò, & aduersariæ opinionis fundamentum euerto: quod carentia Petri eo modo, quo esse potest, vbique sit, nec inconuenit, nec si conueniens sit, ab aduersariis euitatur: ergo falso, & inuiti fundamento mouentur. Hoc posterius suadet: quia tametsi vbitas Petri huic loco essentialiter alligata sit, cur eius vbitationis carentia eidem loco essentialiter affixa sit, cum iuxta ipsos aduersarios vbitas illa sit in tempore; eius tamen carentia non in tempore sit, sed æternitate potius commensa sit. Illud autem prius suadet, quia diffusio illa carentiæ Petri per spacia omnia imaginaria, & infinitè protensum chaos nullam arguit perfectionem etiam minimam, nedum immensitatem in carentia eiusmodi: videlicet quia ea definitio non cadit supra vllum esse simpliciter, quo ea carentia gaudeat: qua ratione iuxta ipsos aduersarios carentia Petri quodammodo ab æterno fuit, & si Petrus non producat, æternum erit, quin tamen ob id simpliciter perfecta, nedum sempiterna sit.